



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De septe[m] eiusde[m] domus columnis, & quis primus autor fuerit huius  
numeri, ut scriberet septem spiritus dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)



qua manifestauit eū spiritus sanctus in specie colūbæ, Iohanne prædicante. Et ego nesci-  
ebā eum, sed ut manifestetur in Israhel, propterea ueni ego in aqua baptizans. In istis igitur  
tribus splendoribus gratiæ, quæ diffusa est in labijs tuis, speciosa forma præ filijs ho-  
minū, sic sanctā trinitatē laudamus & glorificamus, ut sanctū spiritū de patre & de filio  
procedentē pariter prædicemus opificē istius domus, quæ uidelicet domus es tu secundū  
humanitatem, in qua requiescit ipse cū omnibus, quas tibi thesaurizauit, diuitijs siue the-  
sauris sapientiæ & scientiæ.

¶ De septem eiusdem domus columnis: & quis primus autor fuerit  
huius numeri, ut scriberet septem spūs dei. Cap. III.

**S**eptem colūnas, quas excidit sapientia in ista domo sua (sicut dicit scriptura, Sa-  
pientia ædificauit sibi domū, excidit columnas septem) septē esse spiritus dei,  
quis non audiuit consonantibus scripturis alijs: Nā, exēpli gratia, propheta Esa-  
ias dixit, Et egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, &  
requiescet super eū spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & for-  
titudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eū spiritus timoris domini. ¶ Multa sunt  
in scripturis consonantia sanctū septiformem spiritum, sub sacramento numeri septenarij  
uidelicet septem lampades ante thronū dei, septem cornua agni, septem eius oculi, quod  
non est aliud, q̄ apud Zachariam prophetam, in uno lapide septem oculi, & in uno candelabro  
septem lucernæ super caput unius candelabri. ¶ Verū nos istud quærimus, & inue-  
nire delectabile est, quis primus fuerit autor numeri huius, ut scriberet septem spiritus do-  
mini, & quam ob causam idē septem spiritus, nomine columnarū totidem debuerint signi-  
ficari. Non est dubiū quin omnia sint diuinæ autoritatis quæcūq; habentur in scripturis  
canonicis: ueruntamen tunc melius placet, & abundantius lætificat ipsa diuina autoritas,  
cum diuina quælibet scriptura simul autoritatem siue testimonium habet de aliqua priore  
scriptura. Exempli gratia. Quod in Zacharia scriptum est: ut iam meminimus) quia super la-  
pidem unū septem sunt oculi, cum sit diuinæ autoritatis: spiritus eū sanctus per os omniū  
prophetarū locutus est, attamen amplius ex eo delectat, quod ante istum Esaias propheta  
(cuius iam meminimus) scripsit apertissime septem spiritus domini, ita ut singulos proprijs  
is quoq; exprimeret uocabulis. ¶ Hoc igitur quærimus, utrum & iste qui sine dubio diui-  
na scripsit autoritate, sapientia ædificauit sibi domum excidit columnas septem, priorem  
quempiam legerit, siue audierit, similia loquentem. Verbi gratia, Dauid siue Moysen.  
Quærentes istud, cito inuenimus, quia præcessor huius & omnium prophetarum, in isto  
sacramento numeri septenarij, Moyses fuit, cuius scriptura profluens, nō ab homine, siue  
à literatura manu scripta cuiuspiam hominis, sed ab ipsius ore, quasi fons scripturarum est,  
nam cæteræ omnes scripturæ propheticæ, quasi riuus sunt eiusdem fontis. Hoc demonstra-  
re promptū est, si tamen paucis rem tantā lingua uerbis explicare potest.

¶ De septem diebus primis, & quod spiritus domini qui ferebatur super aquas,  
ex illis cognosci debeat quod sit spiritus septiformis, primum spiritus timoris,  
secundū diuisionem tenebrarum & lucis, & in supremo spiritus sapientiæ, secun-  
dum diem septimum, in quo deus requieuit. Cap. III.

**I**n principio spiritus domini ferebatur super aquas, qui uidelicet spiritus dei  
bonitas ipsius est. Pro hac bonitate sua deus sex diebus cuncta creauit, & in sep-  
timo requieuit. Et quoniam à creatura cognoscitur creator, sicut Ap̄tus dicit.  
Inuisibilia ipsius eū, à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspi-  
ciuntur: sempiterna quoque uirtus eius & diuinitas, iccirco nos maxime, qui cognoscen-  
tes deum, sicut deum glorificare & gratias agere cupimus, à creatura ipsorū dierum ipsum,  
qui ante omnem diem ferebatur super aquas, debemus cognoscere spiritum sanctū. ¶ Vi-  
delicet ab illo die, quo diuisit deus lucem & tenebras, id est, angelos bonos & angelos ma-  
los, cognoscitur spiritus iste, quia spiritus timoris est. Timorem quippe efficit credēti ani-  
mæ memoria illius iudicij magni & terribilis, quo angeli tenebrarum ab angelis lucis  
tanta diuisione diuisi sunt, ut ultra in æternum recuperari non possint. De quo, uide-  
licet timore, siue spiritu timoris, scriptum est in IOB. Potestas & terror apud illum est,  
qui facit

Iohan. 7.

Psalm. 44

Septē colūnas  
repli, septem  
spūs domini.  
Esaiæ. 11.

Numerus sep-  
tenuarius.  
Apoca. 4. 5.  
Zacha. 3. 1.

Zacha. 3.

Esaiæ. 11.

Prouer. 9.

Libri Moysi,  
fons scriptu-  
rarum.

Gene. 1.

Roma. 1.

Spūs timoris  
domini in pri-  
mo die.

Iob. 27.  
qui facit